





Mosheim s: Joh: L. aur: s diff. de Cireles in  
Christi, Helmst. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: s diff.  
de Coelo Beatorum, Tübinge  
1722

Reudenij s: Ambro: s theses de  
Symbolo Apostolico, jene  
1589

diff. de Geo ac Tribus  
personis, jene 1589.

2722

PSALTES PROPHETA  
DE  
**P R E C I B V S**  
**CHRISTI**  
CONTRA  
**M A L E D I C O S**  
*AD PSALMVM XXXV.*

---

PRÆSIDE  
**JON. CONR. SCHRAMMIO**  
S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
CELEBERRIMO  
RESPONDENTE  
**CHRIST. WILH. SCHRADERO**  
GANDERSHEIMENSI S. S. THEOL. STVD.  
*IN ACADEMIA JULIA*  
A. MDCCXXVIII. D. IV. DECEMBR.  
DISP. THEOL.  
ILLVSTRATVS.

---

*HELMAESTADII*  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.



PSALMUS PROPHETAE  
DE  
PREGIBVS  
CHRISTI

CONTRARIA  
MALEDIQVS  
AD PSALMVM XXXV.

PRESIDE  
ION. CONR. SCHRAMMIO

AT THEOD. ET TROE. LAP. ORDIN.

CHEIRENOMO

RASPONDVATE

CHRIST. MTH. SCHRAEDERO

ANNO MDCXXVII D. IV DECEMBRI

IN AGEDAMIA SVETEA

A. MDCCXXVII D. IV DECEMBRI

DIESA. T. TOTOL.

LV. ANNI

HELMUTSBURG

TYLLISTAVIT DILECTISSIMA SINGULIR

TYLLO TYRO



VIRIS

MAXIME REVERENDIS, PRAENOBI-  
LISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AM-  
PLISSIONIS ATQUE DOCTIS-  
SIMIS

EPHORIS  
LEGATI  
SCHRAADERIANI

GRAVISSIMIS SPECTATISSIMISQUE

PATRONIS SVIS

OMNI PIETATIS OBSERVANTIAEQUE CVLTV  
AD CINERES PROSECVENDIS



*PRIMVM ACADEMICAЕ NOTITIAE*

*SPECIMEN*

*INGRATAE MENTIS TESSERAM*

*SANCTVM ESSE CVPIT*

**TANTORVM NOMINVM**

**СИЯНОВЕ**

**ЛІГАТІ**

**СОХІЯДІЯ**

*GRAVISSIMIS SECUTA TERRIBUS*

**CHRIST. WILH. SCHRADE RVS**

*GANDES. BRVNSVIC. SS. TH. CVLT.*

*OMNIBUS LIBERTATIBUS QVOTIDIANIS*

*AD QMVR. TERRITORIIS*





§. I.



Vita quidem nostri causâ subiit Servator, quæ nec animo assequi possumus. At inter hæc præcipuo loco habendas esse Maledicorum Linguas, nemo eloquetur melius, quam qui earum expertus est acerbitatem. *Verba impiorum insidian- tur sanguini*, inquit Salomo Prov. XII. 6. Testisque est Jeremias c.

X. 8. cum linguam maledicorum *sagittam* appellat vulnerantem; de quâ ipsi verè dicere potuerant c. XVIII. 18. *Venite, & percutiamus eum linguâ*. Quid ergo iniquius, quid acerbius esse poterat, quam quod Christum Paetum cum Dæmone reum facerent, quin obsessum, in ipsam faciem dicerent? Joh. XIII. 52. *Nunc cognovimus, quia Dæmonium habes*. Atque hæc causa est, cur pii veteres Dominicam Quintam Quadragesimarum, quam historiam illam è Johannis loc. citato exponere consueverunt, *Ju- dica*; nominarent, à Ps. XXXV. nunc exponendi, initio: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me*. Vid. B. SCHMID. Hist. Festor. & Dominicar. mens. Mart. §. III.



## §. II.

Nemo enim rectius aut majori jure has fundere querelas, neminique adeò melius competere poterit hic Psalmus, quam Christo. Id quod primum, antequam ad singulorum argumentorum expositionem & cohærentiam procedamus, in limine, prout & in ceteris hujus generis fecimus, ostendendum erit. Ubi (I) occurrit testimonium ipsius Servatoris, omni exceptione majus, Joh. XV. 24. 25. *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : *Quia odio habuerunt me gratis.* Nempè hæc illa verba sunt, quæ extant Psalmo hoc v. 19. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annunt oculis.* Nec est, quod (a) objicias, hæc potius Christum sumfisse è Ps. LXIX. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Christus enim apud Johannem non æquè de Multitudine Hostium suorum conqueritur, de quâ tamen in Psalmo LXVIII. 5. sermo est, quam de eo, quod nullam omnino Odii Causam erga se inveniant: quin potius amore ac veneratione Prodigia prosequi debuerint, quæ fecerit inter Judæos. Quod & intendit his verbis Davides, cum cantat sub personâ Messiae: *Non supergaudeant, --- qui oderunt me gratis.* Scilicet, ut paulo ante v. 12. *Retribuebant mibi mala pro bonis.* Ego autem, cum mibi molesti essent, induabar cilicio. Nec proinde verba quoque è Ps. CIX. 3. huc trahi possunt: *Sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.* Nisi sensum saltem, de Odio Immerito, inde inferas. Quo pacto, quid obstat, quò minus omnia illa loca hoc referamus? ut benè monet CALOVIVS ad Joh. XV. 25. Siquidem in tribus his



his Psalmis idem de Christo vaticinium extat, quod ipsum oderint gratis, hoc est, sine causâ. Instabis porrò, (3) Christum provocare ad Legem Judæorum, quam alibi à Psalmis distinguit, non ergò ad Psalmos, unde hic locus desumptus. Sed respondemus, Legem hoc loco in eodem sensu sumi, quo sumitur à Christo Joh. X. 34. *Nonne scriptum est in Lege vestrâ: Quia Ego dixi, Dii estis?* Ubi Lex illa est Ps. LXXXI. 6. cujus hæc verba sunt: *Ego dixi: Dii ipsis.* Consensum Judæorum vid. infrâ §. VII. Constat ergò vel ex hoc solo testimonio, Davidem in Psalmo illo, quem explicandum suscepimus, de Christo vaticinari, adeoque ad hunc præcipue mentem intendisse; quod quidem alias, cùm multi alii sint, qui frustrâ odio habentur, inde non nisi cum difficultate quâdam concludere, & ad solam Christi Personam trahere, potuissemus. Quod verò GROTIUS ad vocem πληωθῆ Joh. I. c. ait: *Commodè evenit, ut hoc modo in me impleretur, quod olim David, qui typum mei ges- sit, sibi fieri conquestus est;* & hinc eventui magis, quam consilio tribuire videtur, hujus Prophetiae complementum; id contrà propriam ipsius confessionem vergit, quæ habetur ad Matth. I. 22. ubi de Complementis vaticiniorum pluribus differit. Præterquam enim, quod Evangelium, seu Sapientiam de Christo, προώμενην πέρι τῶν αἰώνων, è I. Cor. II. 7. allegat, & id quod ἐν τύπῳ quondam dictum aut scriptum fuit, opponit τῷ ἀκεβεῖ, quod ab Apostolis vocatur τῷ πλήρωμα, seu τελειότης, Hebr. מֶלֶאכָה, de quo ABENESRA ad Cantic. V. 12. *Ipsa, inquit, Historia Christi nos admonet, ita à Deo directam mentem Prophetæ loquentis, (v. gr. Hos. XI. 1.) ut quod de populo Israëlitico ab ipso dicebatur, non minus recte, aut etiam rectius, in Christum*



conveniret. Quapropter quod in Christo hoc quoque loco impletum dicitur, quod ipsum frustrà odio prosecuti sint inimici, id nemini æquè accuratè vel perfectè, neminique tam ex consilio & præscientiâ Dei, aut ex intentione Prophetæ, quam Servatori optimo competit, utut Davides forte in se etiam aliquâ ex parte traxerit, ut & quilibet potest. Et mirum est, virum alioqui perspicacissimum non observâsse, quantam implicet contradiccionem, si bis talia dicimus impleri, ut ipse vult, semel, cum res illa evenit, quæ directè prædictitur, iterum verò & quidem excellentius, cum id apparet, cui adumbrando ipsa illares, ac proinde etiam verba eam notantia serviebant. Sanè non sunt eadem, quæ adumbrantur, & quæ adimplentur, unde nec duo, nedum plura possunt esse Vaticiniorum complementa; quod vel tironibus Exegeticæ Theologiae notum esse debet.

### §. III.

Occurrit (II) *Annunciatio Laudis Divinae, per Ecclesiam Christianam*, quam Psaltes Christo v. 18. adscribit per Vaticinium, Paultis verò, aut si quis alias Apostolorum fuit, in Epist. ad Hebr. II. 12. à Christo verè præstitam, idemque ab ipso impletum esse vaticinium, affirmat. Verba Davidis sunt, quibus Christum loquentem inducit: *Confitebor tibi in Ecclesiâ magnâ.* Hebr. רְבָבָקְהֹל אָזֶר. Hæc iisdem ferè verbis protulerat Psalm. XXII. 23. *In medio Ecclesiæ laudabo te.* Hebr. אַהֲרֹן קָהֵל וּבְרוֹךְ. Profertque iterum Psalm. XL. 10. *Annunciavi justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ.* Hebr. בְּשֻׁרְתִּי אָזֶר בְּקָהֵל רְבָבָקְהֹל. Cum igitur horum Vaticiniorum similitudo idem inferat, nempe quod Laus Dei publica, divinique Nominis Confessio vel Annunciatio, Christo Servatori *nat' ζεχτίν* tribuenda sit, comple-



pletebitur ea more Scriptorum Novi Testamenti Apostolus Hebr. II. 11. 12. cum inquit : *Propter quam causam non confunditur, fratres eos vocare, dicens : Nunciabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiae laudabo te.* Tres enim Psalmi isti, in quibus haec verba reperiuntur, citra dubium Prophetici sunt, id quod ex aliis gravioribus argumentis quoque evincitur. Unde Ecclesia illa, in qua laudandus est Deus, non tam est Synagoga Vet. Testamenti, quam Novi Testamenti Ecclesia, de qua eodem vocabulo Ἀντίπα προσκεφται οὐδὲν οὐδὲν εἰς τὴν εἰκόναν της στολῆς, & εἰς τὴν εἰκόναν της πολλῆς. Apostolus autem conjungit ; id quod novum haud esse, exemplo pauculo ante §. II. de Odio Inimicorum erga Servatorem, allegato, constat. Ita Actor. I. 18. sqq. conjunctio fit locorum Jer. XXXII. 9. Ps. LXVIII. 26. & CVIII. 8. & nominatur tantum Liber Psalmorum. Ut & Matth. XXVII. 7. sqq. ex Jer. XXXII. 9. & Zach. XI. 12. & mentio saltem fit Ieremiæ Prophetæ. In quibus locis magis ad rei cohærentiam, quam ad verba respiciendum est. Quod si ergo excipies, in Epistola ad Hebræos locum tantummodo ē Ps. XXII. non autem aliundē adduci, quod in priori Hemistichio dicatur : *Nunciabo nomen tuum fratribus meis* ; quod alibi haud extet ; dicendum est, quæ sequuntur : *In medio Ecclesiae laudabo te* ; non sine causa annexi. Videlicet, ut saltem ostenderetur, eundem esse, qui *nunciat nomen Dei fratribus suis*, & qui *laudat Deum in Ecclesia magnâ*, & utroque modo officio suo-Prophetico satisfecisse. Quod & ex hoc Ps. XXII. ut ex Psalm. XXXV. de quo sermo nobis est, & ex Psalm. XL. æquè patescit. Et Christus, id in se impletum esse, toties docuit opere & verbis, ut prolixum esset nimis, seriem exemplorum tam



tam afferre. Cum Lazarum excitaturus, & per Resuscitationem hanc Divinitatem comprobaturus esset, dixit eandem ob causam Joh. XI. 41. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis. Sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* Cumque de Luce Evangelii, ad quod prædicandum solus ipse mittere poterat Apostolos, loqueretur Luc. X. 21. *Exultavit Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi, Pater coeli & terræ, quod abscondisti hæc sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* In primis Joh. XIV. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Quis verò Deo tanto cum Prodigiorum successu in populo gratias agere, quis tam impensa lætitia vel fiducia ob Evangelii autoritatem ipsi confiteri, & quis dicere de se potest: Hoc faciam; aut quod in se, tanquam Filio, Deus glorificetur, nisi Unigenitus Dei Filius? Ecce ergò Annunciationem Nominis Dei, ecce Laudem Dei in Ecclesiâ magnâ, à solo Christo prædicatam!

#### §. IV.

Argumentum (III) sumi potest à Jejunio, de quo Psalmes v. 13. 14. *Humiliabam in jejunio animam meam. Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus, sic humiliabar.* In Hebreo est; *עֲזֹזֶת נְפָשָׁה עַנְיָה* quod non nisi de Jejunio propriè dicto intelligi potest. At nuspian legitur de Davide, quod propter Fratres suos ipsa jejunaverit, aut propter Cives Subditosque suos tale quid suscepere, qui ipsi malum pro bono rependerint, vel contra eundem lætati fint. Propter Filiolum quidem suum, è Bathseba suscep-  
ptum



ptum, jejunavit solus ipse II. Sam. XII. 16. à quonihil mali sibi metuendum erat. Cumque obiisset, jejunare desit. Sed hoc jejunium est contrà scopum Psalmi. Ut & illud, de quo extat II. Sam. I. II. 12. *Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul & super Jonaihan, filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israël, eo quod corruissent gladio.* Neque ergò hi quoque erant, contrà quos David orare potuisset v. 26. *Eribescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.* Nam obierant, & jejunium propter illos, Davidi cum pluribus, amicos suos lugentibus, erat commune. Unde sibi soli adscribere non poterat. Longè magis autem notabile erat, & cum hoc proinde vaticinio congruebat, Jejunium Christi, de quo Matth. IV. 2. sqq. quippe quod & alibi ab ipso Davide, Ps. LXVIII. II. *Operui in jejunio animam meam;* & CVIII. 24. *Genua mea infirmata sunt à jejunio;* de Christo prædictum, & à Mose præfiguratum erat, Exod. XXXIV. 28. à Christo autem, cum Officium Mediatoris inchoatus esset, quadraginta diebus & quadraginta noctibus in gratiam Fratrum suorum, qui Judæi primū erant, & deinceps tanta compensarunt beneficia, observatum, & sub grayissimâ Sathanæ tentatione finitum. Hoc demum illud est, in quod Psaltes mentem intendit, & hoc demum omnium optime quadrat in eas circumstantias, quæ in Psalmo adjiciuntur.

## §. V.

Cetera, quæ sunt desumpta (IV) à falsis Testibus v. II.  
Surgentes testes iniqui, quæ ignorabant, interrogabant me;

B

quæ-



quæque tam clara ē Matth. XXVI. 60. 61. Marc. XIV. 57. 58.  
 ubi surgebant quidam, falsum testimonium adversus Christum, de Templi dissolutione, ejusque intrā triduum restauratione, frustrā ab ipso promissā, perhibentes; ut vix dixeris, num clarius vates, an Evangelistæ descripserint. Nec unquam vel levissimum de Davide præstant indicium, quod ipse falsis testibus, æquè ut Servator, in summis angustiis obnoxius fuerit. Item quæ (V) narrantur v. 15. de *Claudicantibus*: *Congregata sunt super me flagella*; ubi Hebr. ■■■■■ LVTHERVS bene: *Die Hindende*; juxta Bvxtorffivm in Lexic. Min. Quibus respondent præcipue Herodiani, Matth. XXII. 16. Luc. XXIII. 7. 12. adversus Christum unā cum discipulis Pharisæorum congregati, atque nunc in partes Judæorum, nunc Herodis Idumæi atque Aulicorum, proclives, vel claudicantes, quæ erat phrasis Scripturæ I. Reg. XVIII. 21. Hebr. XII. 13. de Religionariis, qui gravissimis periculis Servatorem exponere tentabant. Unde ejusdem acris in illos invectiva v. 18. *Quid me tentatis, Hypocrite?* Nec æquè certè vel cum Saule, atque Absolomo simul & Davide, facientes, huc trahendi, utpote qui bellis magis apertis, quam verbis eidem resistebant. Denique quæ (VI) concernunt Gloriam Justitiæ propriæ v. 27. deprecanda potius quam exoranda à Davide, & à quovis alio, & ut Ps. XXX. 2. Liberationem per Justitiam propriam; in quem pariter, ut in Christum, quadrent, vel impleta sint, nullum omnino admittunt.

## §. VI.

E Patribus in rem nostram nunc revocabimus primo TERTULLIANVM, qui cum Libr. III. adversus Judæos



dæosc. X. disputat, quod Christus non propter peccata sua, sed potius propter scelera ipsorum tot mala subierit, eosdem è Vet. Testamenti locis aliquot convincit, inter quos est Ps. hujus v. 12. Verba ejus sunt : *Ut supra de eo prædictum memoravimus, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea, quæ predicta sunt à Prophetis, per vos ei adventura, implerentur ; sicut in Psalmis ipse Spiritus Christi jam canebat, dicens : (Psalm. XXXV. 12.) Retribuebant mibi mala pro bonis ; & : Quæ non rapueram, tunc exsolvebam ; (Psalm. LXVIII. 5.) Exterminaverunt manus meas & pedes ; (Ps. XXI. 19.) & : Miserunt in potum meum fel, & in siti meâ potaverunt me aceto ; (Ps. LXVIII. 22.) & : Super vestem meam miserunt sortem ; (Psalm. XXI. 19.) sicut cetera, quæ in illum commissuri essetis, predicta sunt. Quæ quidem omnia ista per pessus, non pro actu suo aliquo malo passus est, sed ut Scripturæ implerentur de Ore Prophetarum. Et utique Sacramentum Passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat, quantoque magis in credibile, tanto magis scandalum futurum, si nudè prædicaretur : quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quereret. Qualis ergò hic reliquorum, talis quoque hujus Psalmi est ratio, ut in eo Christus prædictus fuerit. TERTULLIANO succedat AMBROSIUS, qui in Exposit. Psalm. XXXVIII. ad v. 2. monet, quomodo nos erga inimicos geramus, & verba ideo citat è Ps. XXXV. 13. 22. quæ partim Davidi, tanquam hujus Psalmi autori, partim Christo, ut qui præcipue in eo locutus sit, tanquam in vaticinio, abscribit. *Meditare ergo, inquiens, quæ Christi sunt, quæ secum meditabatur Propheta David, in quo ea, quæ secum in hoc Psalmo meditatum esse dicit, ante in eo locutus est Christus. Sic enim scriptum est : Ego au-**



tem, cum in aliquo mihi molesti essent, inducebam me cilicio,  
 & humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in  
 sinu meo convertetur. Et paulo post: *Adde:* Ne discedas  
 a me; ut David Propheta dicebat; (v.22.) hoc est, ne solum  
 me impugnabitibus derelinquas. Non enim est solus, cui Deus  
 praesens est. Accipe testimonium: (Job. XVI. 32.) Ecce, in-  
 quit, venit hora, ut dispergamini unusquisque in sua, & me  
 solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum  
 est. Unde constat, verba illa, quorum autor est David,  
 & quae etiam sub personâ suâ proferre & orare poterat,  
 ut nos omnes oramus, Christo præ ceteris tribui. Sic  
 quoque AVGUSTINVS in Enarrat. hujus Ps. XXXIV.  
 more suo procedit, ut nunc modum applicandi, nunc  
 Servatorem in eodem querendi, vel ut ipse sub init. Con-  
 cionis II. sanitatem intelligendi, & fructum benè agendi,  
 commonstret. Unde statim in Præfatione: *Hoc, quod*  
*modo cantamus, Spiritu ejus dictum est per Prophetam ejus,*  
 & in eis verbis, ubi nos agnoscimus & ipsum. Nec inju-  
 riam facimus, quia dicimus nos & ipsum; quoniam cum  
 esset in coelo, sic clamavit: *Quid me persequeris? cum eum*  
*nemo tangeret, & nos in terra laboraremus.* Ergo vocem  
 ejus audiamus, nunc corporis, nunc capitis. Porrò & in Enarr.  
 Part. I. v. 7. *Quoniam gratis &c.* In ipso Capite nostro  
 hoc fecerunt Judæi, absconderunt muscipulae suæ corruptio-  
 nem. Et sub init. Conc. II. ad Part. II. *Intelligimus enim*  
 hic vocem Christi, vocem scilicet Capitis & Corporis Christi.  
 Christum cum audis, noli sponsum à sponsâ separare. - - -  
 Dicat ergo Caput nostrum: *Insurgentes testes iniqui.* (v. II.)  
 Ad v. autem 13. *In sinum ergo meum convertetur oratio*  
*mea;* Nescio, quid melius intelligendum de Domino. - - -  
 Quid est: *Oratio mea in sinum meum convertetur?* nisi, in  
 me



meipso humanitas, in meipso interpellat Divinitatem. Et ad v. 27. Exultent & latentur, qui volunt justitiam meam. Qui haerent Corpori meo. AVGVSTINI vestigia legit præcipue è Scholaisticis THOMAS AQVINAS, qui ita ad hujus Psalm. initium: *Mysticè pertinet ad Christum, verum David, & secundum Mysticam Expositionem est Secundus Psalmus eorum, qui prolixè loquuntur de Passione Christi. Primus fuit: Deus, Deus meus, respice. Hic ergò Psalmus, sive legatur ex personâ David, sive Christi, vel cujuscunque, duo facit. Sic quoque ad v. 17. Suprà Psalmus ex personâ Christi vel Justi nequitiam persecutorum & pertinacium ostendit.* Item ad v. 18. *Confitebor tibi in Ecclesiâ magnâ, &c. Si referatur ad Christum, fructus resurrectionis Christi est instru-ctio Ecclesie, & fides, quâ Ecclesia confitetur Deum. Cui sensus Mysticus est sensus potior, ut ad Ps. II. §. III. notavimus.* E Recentioribus statim post Lutherum eminebat BVGEN-HAGIVS, qui ita ad Inscriptionem hujus Psalmi: *Summa. Hec Christus, & quisque fidelis, in tribulacione forti-ter precatur contrâ veritatis adversarios. In fine autem ju-stitiae faventibus latitiam imprecatur.* GESNERVS l. c. in Præf. Nos Christo potius, (alleganti v. 19. *Odio me habuerunt absque causâ; Joh. XV. 25.*) quam Calvino credentes, Psalmum de ipso Christo interpretamur. Præsertim cum in-teger Psalmus bac ipsâ propositione, quam Christus allegat, (*Odio me habuerunt absque causa;*) summatim comprehen-datur. Et cum insuper in eo non pauca sint, quæ Davidis personæ minimè convenient. Neque tamen negamus, Davi-dem, ut Christi typum, eâdem precandi formulâ in suis quo-que ærumnis usum esse. BAKIVS ex ALES. Est enim Psalmus 35. Precatio Christi in Passione, contrâ Iudeos, & Ecclesiæ omnium temporum persecutores. Et è CASSIO-



DORO: Secundus Psalmus latè de Passione agens. Item: Non de Davide propriè, sed de Servatore hunc Psalmum esse exponendum. CALOVIVS: Psalmum bunc de Christo merito explicant Hieronymus, Augustinus, Bugenbagius, Brennius, Gesnerus, præeunte ipso Christo. De GROTIo ad §. II.

## §. VII.

Judæi quidem in Commentariis Literalibus Messiæ ad hunc Psalmum nullam faciunt mentionem. Sed hoc mirum non est, cum isti magis Philologici esse soleant, quam Theologici, nec ad viscera usque veteris Theologiæ Judaicæ pertingant; nisi interdum quædam inspurgantur, quod tamen fit  $\omega\varsigma \epsilon\nu \pi\alpha\varrho\delta\omega$ . Aliunde ergò jam petenda erunt, quæ ad rem faciant. Extat de Causis Exilii Ultimi Judaici discursus longior in Tr. Talm. Messechet Joma c. Schibbat Jamim, ex quo hæc verba saltem recitabimus: מִקְרָשׁ שֶׁנַּי שָׁאַנְןָ בְּקִיאָתָם כֹּו שְׁחוּזָ עֲוֹסְקִים בְּתוֹרָה וּכְמַזְוֹת וּבְנִמְלּוֹת הַסּוֹיָם מִפְנֵי מָוֵה וּרְבָה מִפְנֵי שְׁנָאת חָנָן לְלָמָד שָׁקָולָה שְׁנָאת חָנָן שְׁחוֹתָה בְּנֵיהם כִּנְרוֹ שְׁלָשׁ עֲבִירֹת הַלְלוּ עַזְגָע שָׁד וּבְמִקְרָשׁ רָאשֵׁון לֹא הוֹה שְׁנָאת חָנָן: Sanctuarium Secundum, circà quod occupamur, ubi Legis fuerunt studiosissimi, ut & Preceptorum, & Erogationis Eleemosynæ, propter quam causam devastatum est? Propter Odium gratis. ( Ps. XXXV. v. 19. ) Ut inde discas, Odium gratis, quod inter illos erat, gravius esse, quam sunt tria illæ criminæ, nempè Idololatria, Revelatio Pudendorum, seu Incestus, & Effusio Sanguinis. ( Nempè quæ invaluisse dicuntur magis sub Templo Primo, quam sub Templo Secundo; unde quoque Exilium Primum.) In primo autem Templo non fuit illud Odium gratis. ( Ps. l. c. ) Idem locus in



in Talmud. Hieros. Libr. *Joma*, iisdem ferè verbis extat, unde à RAYMVNDO, in Pugione Fidei, Part. III. Dist. III. c. repetitur. Quid verò? An tantum illud est *Odium gratis*, ut superet gravissima scelera? Unde igitur hoc est? Et unde illud est, quod in Templo Primo non reperiatur, sed tantum in Secundo? Unde est, quod propter illud solum Templum Secundum devastatum sit, quicquid etiam operæ in Legem & Bona Opera inpendenter? Et quid Davidi hīc cum Templo Secundo? Sanè nulla alia causa, quam quod Messiam sub Templo Secundo pro præstitis beneficiis extremo prosecuturi sint odio, ut etiam ad Crucem agerent, suisque potius Traditionibus, quam Doctrinis ejus perstituri. Alias certe sub Templo quoque Priori *Odium gratis* fuisse, nemo dubitabit, nempe quo sine causa bonum pro malo compensarunt. Cur enim David alias de eo in hoc Psalmo, aliisque? At hoc maximè in Christo obvium fuit, quo nemo magis, nemoque iniquiori ratione odio expositus fuit. Hoc erat illud, de quo omni jure conqueri poterat, Joh. XV. 25. Hoc erat, quod Davidem non tam de se, quam de Messia in vaticinio Ps. XXXV. 19. dixisse, testatur. Quin, hoc erat, ad quod mentem direxerunt veteres Judæi, quando propter illud se haud immerito Exilio Ultimo multatos esse, queruntur. Nec enim illud שְׁנָאַת חֲנִיכָה *Odium Gratis*, alibi, quam in hoc Ps. XXXV. 19. & Ps. LXIX. 5. occurrit, unde ab illis desumptum est. Nec alia potior materia Psalmi hujus XXXV. quam hæc, dari poterat, ad quam tota summa reducenda esset, ut bene monuit §. præc. GESNERVS. Hæc ergo de *Odio gratis*, in Messiam, ad hunc Psalmum imprimis notentur. Ut & illa de *Lege*, ex quâ Christus allegavit, quæ extant in *Tanchuma*:

כְּנָבָד



כשבא אסף זההיל לומר האזינה עמי תורה אמרו ישראל לאסף  
 וכייש שם תורה אחרת אתה אומת תורה כבר קבלנויה מהר סני  
 אמר להם אסף פשע ישראל אומר שנביי' וכותבי' אין תורה  
 אמר לך אסף *Quandò venit Assaph, & incepit dice-*  
*re: (Ps. 78. v. 2.) Auribus percipe populus, Legem meam.*  
*Dixerunt Israël ad Assaph: Et nunc est alia Lex ibi, quod*  
*tu dicis: Legem meam? Jam utique accepimus illam de*  
*monte Sinai. Dixit eis: Impii Israël dicunt, Prophetas*  
*& Hagiographa non esse Legem, & non credimus illis.*  
 Vid. supra §. II. Aliud adhuc est, cum (β) etiam men-  
 tio fit *Laudis Dei, in Ecclesiâ Magnâ à Christo annuncia-*  
*tæ, v. 18. quod cum Annunciatione Nominis Divini con-*  
*jugere Apostolum, Hebr. II. 12. vidimus §. III.* Ad hunc  
 locum BRAVNIVS Comm. in Ep. ad Hebr. *Jesunum est,*  
*quod Judæi hunc locum, quem Paulus hic allegat, (nempe ē*  
*Psalm. XXII. 23.) intelligent de Messia quidem, sed eo tantum*  
*sensu, quod Messias solus habuerit autoritatem pronunciandi*  
*nomen Tetragrammaton יהוה, & quod aliquando docturus sit*  
*omnes Judeos, quomodo id nomen rectè pronuncietur.* Unde  
 forsitan nata est stygia Judæorum fabula, quod Jesus  
 abstulerit ē Templo *Schemhamphorasch*, hujusque ope tot  
 fecerit prodigia, & idem discipulos suos docuerit; de quâ  
 pluribus WAGENSEILIVS in Tel. Ign. Sath. ad Libr.  
*Toledot Jeschu.* Davidem igitur sic vaticinatum esse his &  
 similibus verbis de Messia, veteres Judæi omnino credidisse  
 evidenter. Rectius omnino de se Christus Joh. XVII. 6.  
*Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de*  
*Mundo.* Denique etiam (γ) KIMCHI ad v. 18. *In Eccle-*  
*siâ Magnâ;* notat, laudem eam annunciandam fore,  
*quando omnes Israelitæ in unum congregabuntur.* Id certe  
 tempore Davidis haud factum. Nec David omnibus præ-  
 dicare



dicare poterat. Videtur ergò animum intendisse ad Congregationem Ultimam, cui præerit Messias, & gloriam Dei manifestabit. Id quod Judæos expectare adhuc, testis est BYXTRFF. Synag. Jud. c. XXXVI. Consolat. 2. & 9. p. 453. 455.

## §. VIII.

Psalmus ergò varios *Titulos* habet, pro diversitate scoporum, quos quisque sibi circà eundem constituit. Nos præcipue *Preces Christi contrà Maledicos* suos contine-re, putamus. Ac proinde in tres partes dividimus (I) à v. i. usque ad 10. quâ extat *Invocatio Dei*, pro exercenda *Justitiâ*; (II) à v. ii. usque ad 17. quâ *Maledicorum Iniquitas* ideò exponitur; & (III) à v. 18. usque ad fin. quâ ideò *Fiducia de Auxilio Dei* adjicitur. *Titulus Hebreus Generalis* est לֹדוֹד, quem LXX. pro more suo reddunt τῷ Δαυὶδ, VVLG. *Ipsi David*. A QVILA verò: τῷ Δαυὶδ, *Davidis*. Denotatque & Autorem, & illum, cuius jussu recitatus fuit. *Invocatio autem Justitiæ* in Part. (I) continet (1) *Propositionem* v. i. *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.* His verbis causam suam Deum vult agere Messias, ut sit in *Judiciis* à *Judice* vel *Causidico*; nempè verbis magis, quam opere. רַבֵּח יְהוָה אֶת יְרִיבֵי: *Contende Domine, cum contendentibus mecum.* RASCH: עֲמִים: עֲשָׂה מְרוּבָה עַם אֶותֶם שְׁעָרִים *Institue altercationem cum his, qui altercantur mecum.* CICERO L.I. Offic. Sunt duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim. Cumque illud sit proprium hominum, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quanquam enim pro suis Hostibus oraverit Christus Luc. XXIII. 34. & Vindictam propriam discipulis suis prohibuerit Luc. IX. 55. quin Amorem, Beneficia, & Orationem pro

C

per-



persequentibus & calumniantibus, ad exemplum Patris cœlestis, iisdem commendaverit, Matth. V. 44. hoc tamen nihil impedit, quin Honorem suum & Famam tuendam Deo committat. Joh. VIII. 50. *Est, qui querat & judicet.* Illumque propterea invocat, Joh. XVII. 5. Causam verò Christi agit Deus per Prædicationem Evangelii, Joh. XII. 48. *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Addit hinc (2) Instrumenta Securitatis suæ v. 2. 3. *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mibi, effunde frameam & conclude adaersus eos, qui persequuntur me; dic animæ mee: Salus tua ego sum.* Sunt hæc instrumenta bellica, Ezech. XXXVIII. 4. Cumque Deo tribuuntur, denotant nunc Causam Salutis, quæ est ejus *Gratia*, ut Ps. III. 4. *Tu autem, Domine, Clypeus super me, (מן בעריך) gloria mea, & exaltans caput meum;* item Ps. XVIII. 36. *Clypeus Salutis Dei;* nunc ipsam *Veritatem*, causam Securitatis, ut Ps. XCI. 5. *Scuto, (נשׁך) circumdabit te veritas ejus.* Duo enim hæc sunt, quibus Deus præcipue nos juvat, quæque proinde in Christo quoque conspicua Joh. I. 14. 17. de quibus hinc Ps. XXV. 10. & alibi sæpius. Quibus adhuc Framea *Justitiae* Dei accedit, de quâ Habac. III. 11. quæ est instar Hastæ fulgurantis, Hastæ Calumniarum, de quâ Ps. LVI. 5. opposita. Et hæc tria illa sunt, quæ in Evangelio concurrunt, ejusque vim promovent & progressum; de quibus Hebr. IV. 12. 13. Rom. I. 11. *Dic Animæ mee.* Hæc Postilla Moralis de *Amicis Christi* per Allegoriam exponit. Rectius, de Ecclesiâ.

## §. IX.

*Fructus autem (3) penes Inimicos primus dicitur Pudor v. 34. Confundantur & revereantur, quærentes animam meam. Avertantur retrorsum, & confundantur, cogitan-*



*gitantes mibi mala.* Ubi enim Pudor & Reverentia est, ibi Agnitus Peccatorum & Pœnitentia, ubi verò Pœnitentia, ibi spes Emendationis. Inde Jer. II. 26. *Quomodo confunditur fur, quandò deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël.* Hanc ergò imprimis quærere Messiam, patet ex eādem formulā precandi, ab ipso adhībitā Ps. XXXIX. 2. *Confundantur retrorsum, & revereantur simul, qui querunt animam meam, ut auferant eam.* Convertantur retrorsum, & revereantur, qui volunt mibi mala. Sic & Psalm. LXIX. 3. 4. CXXVIII. 5. Hinc Prodromus Christi Johannes Marc. I. 15. *Quoniam impletum est tempus & approxinavit Regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio.* Et ipse Luc. XXIV. 46. *Sic scriptum erat, & sic oportebat Christum pati, & --- prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolā.* Pœnitentia verò Salutaris est, aut non Salutaris. Hujus jam ante mortem Christi indicium præbebat ejus Prodigitor, Judas, Matth. XXVII. 3. sqq. illius, Petrus, c. XXVI. 75. uterque Linguae Impiae adversus Servatorem suum paulo ante exemplum. Sic Milites quærentes Christum, eique mala intendentes, Joh. XVIII. 5. Centurio & custodiæ ad Sepulcrum Christi, Math. XXVII. 54. & Multitudo eorum, qui Petri orationem audierant, Act. II. 37. hujus Confusionis, Reverentiæ, & Regressus, unâ cum Pilato, hujusque uxore, & multis aliis, præstant partim initia, partem progressum salutarem. Ubi verò hic locum non invenit, aut planè nulla sunt Pœnitentiæ documenta, ibi succedit Justitia Divina.

## §. X.

*Quare (4) rogat Servator v. 5. 6. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti : & Angelus Domini coarctans eos :*

C 2

Fiat



*Fiat via illorum tenebræ & lubricum : & Angelus Domini  
 persequens eos.* Elucet hinc , quem eventum habeant  
 Consilia Impiorum si iisdem perseverent. Nempe hic in  
 his terris consequuntur , & se invicem excipiunt , *Pœnæ.*  
 Nec enim aliter fieri potest per Justitiam , ad quam pro-  
 vocare licet , cùm propter aversionem mali , tūm prōpter  
 exemplum aliorum . Dissipantur tandem ipsi , ut dicitur  
 Ps. I. 4. *Non sic impii , non sic ; sed tanquam pulvis , quem  
 projicit ventus à facie terræ.* Exemplum illustre præbet  
 Dispersio Judæorum per orbem universum ultima , quam  
 Odio suo in Messiam iniquo suprà §. VII. tribuebant ;  
 Christus verò prædictum Matth. XXIV. 1qq. & cui prælui-  
 sit Dispersio ipsorum prior , II. Reg. XVII. 23. XXV. II.  
 & Dispersio totius generis humani prima , Gen. XI. 9.  
 Quin ipse egressus è Paradiso Terrestri , Gen. III. 24. &  
 Caini , à facie Dei , Gen. IV. 14. siquidem quò quis lon-  
 gius abest à facie Dei , eò longius est ab Ecclesiâ , & quò lon-  
 gius est ab Ecclesiâ , eò gravioribus periculis est expositus ,  
 hujus *Exili* erant Imago. Unde etiam Deus *Angelo* utebatur  
 Gen. III. 24. pariter ut h. l. bis propter Emphasim : *Angelus  
 Domini coarctans , Angelus Domini persequens eos.* Cum  
 enim in Scripturis ingens aliquod supplicium exercen-  
 dum fuit , Angelum unum pluresve ei præfuisse , legimus ,  
 ut & Ef. XXXVII. 36. in Castris Assyriorum ; & in po-  
 pulo Isrælitico , ubi dicuntur plures emissi , Ps. LXXVII. 50.  
 & tandem quoque in Extremo Judicio Matth. XIII. 41.  
 Gradus enim suos habet Justitia Divina , mediisque pri-  
 mūm utitur Naturalibus , hinc verò etiam Supernaturali-  
 bus . Ad hæc verò Mali quoque Angeli , cum suis operi-  
 bus , accensentur , ut I. Par. XXI. I. quæ sæpè nec animad-  
 evrtunt homines , neç animadvertere cupiunt . II. Cor. IV. 4.  
 Hinc



Hinc tandem *Mentis Inconstantia* ac *Cœcitas*, quæ perturbationem rerum ac discordias inferunt, & Exilio Impiorum junctæ esse solent; quæque h. l. per *Viam* indicantur; *Iter* appellat David Ps. I. 6. Ita statim Dispersione Babylonica insequebatur confusio Linguarum Gen. XI. 7. sqq. De qua proinde Ps. LIV. 10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum; quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Per quod quis peccat, per idem punitur & idem. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ contrâ eos linguae eorum,* Ps. LXIII. 9. Et hæ sunt illæ *Tenebrae & Lubricitates*, de quibus Es. VIII. 20. sqq. Ps. XIX. 29. & quibus in devia abeunt & præcipitantur, ut nemo vel videat vel videre velit alterum.

### §. XI.

Ex quibus tandem, si neque Pœnis his quisquam moveatur, non potest non sequi (5) *Ruina*, de quâ v. 7. 8. *Quoniam gratis absconderunt mibi interitum laquei sui: supervacuè exprobraverunt animam meam.* *Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum.* Differunt hæc paululum in Hebræo, ubi ita omnia ad verbum: *Quia gratis absconderunt mibi foveam laquei sui.* (h. e. Laqueum suum, in foveam, in quam me detrahant.) Ubi VVLGATVS נִתְשׁ per *Interitum* reddit. A VG VSTINV S per *Muscipulam*. Et porrò: *Frustrâ foderunt animæ meæ.* Scilicet, foveam ipsam. SYMMACHVS rectè: ὑπόθεντα suffoderunt. Non autem LXX. oppositè satis ὀνειδίστα, opprobrio affecerunt. Hebr. בָּרַח, *Foderunt;* quod in Kal nuncquam significat *Pudore afficit*, sed potius *Erubuit*. Unde male VVLGATVS: *Supervacuè exprobraverunt animam meam.* Utut enim talia à reipsâ aliena non sint, à verbis & conexio-



nexione tamen horum abeunt longius. Atque his proinde respondent magis quæ sequuntur: *Veniat illi vastum illud, quod nescire vult, & rete ejus, quod abscondit, capiat ipsum; in vastum illud vel foveam, (Hebr. בְּשׁוֹאָה) cadat in ipsam;* scilicet, in quam me detrahere tentavit. Ubi vox שׁוֹאָה, *Fovea*, quam quis nescit, Extremam notat Perniciem, quæ maximè incipit à morte. Quemadmodum Es. XLVII.

ii. *Veniet super te malum, & nescies ortum ejus, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repente פְּנִימָה fovea, quam nescies.* Nec enim vel Infernum vel Mortem suam seit homo. Eccl. IX. 12. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis exemplò supervenerit. Nec ex inferno datur Redemptio Matth. V. 26. Ultimus hic Gradus Pœnarum Divinarum, ubi priores nihil proficiunt; quem etiam hac conditione exorare licebit. Insigne exemplum reliquorum populorum præbebit Israël, de quo propterea Paulus, tanquam non sine lacrymis queritur Rom. XI. 7.

8. 9. *Quid ergo? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est.* Ceteri verò excæcati sunt: sicut scriptum est: *Dedit Deus illis Spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem.* Et David dicit: (Ps. LXVIII. 23. quorsum etiam hic Psalmus referri poterit, propter locutiones quasdem similes;) *Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.* Obscurantur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Cœcutientes enim expectat ruina, & qui intelligere nolunt malitiam suam, hac ipsa tandem suffocantur. Hoc toties Christus hostes suos docuit, cum in ter-

ris



ris adhuc cum iisdem consuetudinem ageret, in figuris & exemplis, v. gr. Matth. XXII. 34. 46. XV. 22. quibus suo semper gladio jugulati, suisque laqueis irretiti, & in fo-veam Christo paratam prolapsi sunt. Quæ de Caipha ab officio postmodum remoto, de Pilato suppicio mulctato, de Herode Lugdunum sub Caligulâ relegato, ex Hist. Ec-cles. afferri solent, tacebimus. Hoc sero nimis dolebunt, quos Mors improvisa rapuit, & Infernum absorpsit. *Hi sunt, exclamantes, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.* Nos insensati viam illorum estimabamus insaniam. - - - Ergo erravimus à via veritatis, & justitiae lumen non luxit nobis, & sol intelligentiae non est ortus nobis. - - - In malignitate autem nostrâ consumti sumus. Talia enim dixerunt in inferno hi, qui pecca-<sup>verunt.</sup> *Quoniam spes impii tanquam lanugo est, qui à ven-*  
*to tollitur;* Sap. V. 3. 4. 6. 13. 14. Petit ergo hic Christus da-  
mnari, quos certò novit ad Pœnitentiam non posse revocari,  
ut CASSIODORVS ad h.l.

### ¶. XII. §. XII. *De servitio supponendo*

Tanta vero cum sit ejusdem Certitudo de rebus futu-  
ris, tanta è jus cum inter orandum Fiducia sit, fieri non pot-  
est, quin (6) in Lætitiam, neglecto Dolore, in Precibus erum-  
pat. Quâ de causa ille v. 9. 10. *Anima autem mea exultabit in*  
*Domino:* & delectabitur super salutari suo. *Omnia ossa mea*  
*dicent: Domine, quis similis tui?* Eripiens inopem de manu  
fortioris ejus; egenum & pauperem à diripientibus eum.  
Notamus ex his verbis Gaudium ipsum, ejus Manifes-tationem, & Causam. Solet in mediis doloribus iuctuque  
gravissimo Lætitiam Spiritus ostendere Servator, in signum  
Evangelii sui, ut Ps. XXII. 23. Neque sic dissentimus ab

eo,



eo, quod est in Bibliis Latinis Rob. STEPHANI, in Summario hujus Psalmi, eum plenum esse Fidei & Amoris, nec proinde ipso ad Vindictam abutendum esse. Ut enim Fides & Amor etiam in Precibus Servatoris contrà Maledicos suos eluent, ita Luctus propter Maledicentiam eorum non tollit Gaudium. Namque hoc fuit inter Fructus Spiritus, quo Christus impletus erat Luc. IV. 18. Unde Paulus Gal. V. 22. *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax.* Idemque adeò hortatur Phil. IV. 4. *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.* Præser-tim verò Signum Fidei est, quæ nisi comitetur Orationem, frustra hæc est, contrà, si adsit, efficax est, ad quævis impetranda. Hæc regula Christi Marc. XI. 24. *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Quare etiam idem hic Fidei, idemque Gaudii Effectus, quo manifestantur: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui.* Credidi, inquit David, propter quod locutus sum, Ps. CXVI. 10. Hic Christus ex ipsius ore: *Omnia ossa mea dicent.* Nec enim è solâ Linguâ, sed ex Ossi-bus quoque singulis Gaudium innotescit. Quemadmodum ipse in summo Luetu Ps. XXII. 18. *Omnia ossa mea dinumerabo;* sic David lætabundus Ps. LI. 10. *Et exultabunt ossa humiliata.* Sic & ipse h. l. *Ossa mea dicent.* Quid ergo? & quæ Causa est hujus Gaudii? Non satis piè RASCHI: *כשראת במלות Cum video ruinam illorum.* Quod es-set mali animi & *ἰππαγεναυτας* argumentum. Imò potius non longè quærenda est ratio, quam ipse addit Servator, nempè *Salutare Dei*, i. e. Salus hominibus per Christum promissa; item summa Dei Sapientia, Bonitas, & Poten-tia, quibus Salutem illam præstat, nec similem sibi habet. *Quis similis tibi?* Idem quoque ipse verbis Esaiæ: *Hec di-cit*



*cit Dominus, rex Israel, & redemtor ejus, Dominus exercituum : Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Denique Causam huic gaudio suppeditat Salus ipsa subsequens, seu *Liberatio Inopis* à fortiori, & egeni à prædonibus, h.e. propria Servatori. Ubi inops ipse est, qualem se vocabat Luc. IX. 58. ipsumque Paulus II. Cor. VIII. 9. At fortior, qui se putat talem, vel in Positivo, *fortis ille & armatus*, Luc. XI. 21. & *homicida ab initio* Joh. VIII. 44. Quique & ab aliis pro tali habebatur.

### §. XIII.

*Expositio Injuriarum* (II) ita comparata est, ut saltem illarum præcipuas quasdam, & quæ Verbis potissimum ipsi inferendæ erant, à v. ii. usque ad v. 17. comprehendat. Igitur ante omnia inter illas comparet (α) *Falsum Testimonium*, quippe quod reliqua genera facile superabat. Inde ergo v. ii. inquit : *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabant, (HEBR. ignorobam,) interrogabant me.* Hujus generis Testimonia partim in Judiciis, partim & in aliis Conventibus contrà Christum lata fuerunt, tam de rebus inquis, quam ignotis. Ex illis erat, quandò eum Samaritanum esse levem, qui agitaretur à Sathanâ, Joh. VIII. 48. non sinè summâ audaciâ vel malignitate calumniabantur. Ex his autem, quod de Templi Destructione, ab illo suscipiendâ Marc. XIV. 58. Matth. XXVI. 60. fingebant, publicèque contrà ipsum proferebant. Nec enim hæc verba unquam ex ejus ore auditâ. *Solvite Templum hoc, dicebat, & loquebatur de templo corporis sui, Joh. II. 19. 21.* Illi vero Marc. l. c. *Nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum edificabo.* Quod in Cruce adhuc pendenti blasphemi ex-

D

pro-



probrabant Marc. XV. 29. *Vah! qui destruis templum Dei,  
& in tribus diebus illud reædificas, salvum fac temetipsum.*  
Sic & Matth. XXVII. 40. Ne dicamus, quod Beelzebubi  
familiarem, per quem prodigia faceret, Luc. XI. 15. pec-  
catorum socium, Luc. XV. 2. hominem voracem, vini-  
que potatorem, Matth. XI. 19. Sabbathi contemptorem  
profanum, Joh. IX. 24. populi seductorem Matth. XXVII.  
63. Joh. VII. 12. & seditiosum Marc. XV. 28. cui qui cre-  
deret, meledictus esset, Joh. VII. 49. peccatorem apertum,  
& malefactorem, Joh. XVIII. 30. Latrone pejorem, v. 40.  
blasphemum, Matth. XXVI. 65. qui seipsum Filium Dei  
fecisset, Joh. XIX. 7. & Regem hujus Seculi, qui Impe-  
ratori contradiceret, v. 12. vocarent. Falsissima erant hæc  
omnia, & iniqua, imò inaudita. Ipse ideo Pilatus quasi mira-  
bundus Matth. XXVII. 13. *Non audis, quanta adversum te  
dicunt testimonia?* Quibus accedebant ( $\beta$ ) *Quæstiones  
captioæ*, quales partim in Ignominiam Christi cedebarant,  
ut illa Matth. XXVI. 68. *Prophetiza nobis Christus, quis  
est, qui te percussit?* partim in periculum, ut illa Caiphæ,  
Matth. XXVI. 63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis,  
si tu es Christus, filius Dei;* & Pilati c. XXVII. II. *Tu es  
Rex Judæorum?* Pluresque aliæ, quæ præcesserant Matth.  
XXII. 17. 28. 36. quæ eo ipso Christo ignotæ fuerunt, quod  
ipsi prorsus adversæ; ut Matth. VII. 23. *Nunquam novi vos.*  
Aut, quod ipsi quærentes nescirent, quid quærerent; juxta  
LXX. & VULG.

#### §. XIV.

Quod verò maximum, erat in his (V) summa *Ingra-  
titudo* v. 12. *Retribuebat mibi malum pro bono, sterilitatem  
animæ meæ.* Vitium ingens est, si quis memoriam bene-  
ficiorum abjiciat. Unde inter scelestos, in novissimis  
die-



diebus, etiam ponuntur *ingrati* II. Tim. III. 2. Et Deus κατ' ἔξοχην Luc. VI. 35. dicitur *benignus, super ingratos & malos.* Conf. Luc. XVII. 18. seqq. Quod si jam, ut ipsi Gentiles agnoverunt, homine ingrato nihil pejus est, illi certe, qui contrà Servatorem ingrati fuerunt, bipedum nequissimi dicendi sunt. Causa est hinc Beneficiorum Magnitudo, inde Malorum varietas, inter quæ secundum regulas Justitiae proportio observanda fuisset; quam tantum abest, ut attenderent ingrati, ut potius nihil magis violarent. Inde non tantum non tribuebant, quæ tribuenda erant, sed & quæ ad ipsos haud pertinebant, per vicaci fronte rapiebant. Id quod additur in explicatione: שׁכָּל לְנַפְשִׁי *orbando animam meam.* Quod quidem AQUILA, quasi στλίψ per ἀτέκνωσιν, *Privationem Liberorum,* & LXX. ἀτεκνίαν, VVLG. *Sterilitatem;* SYMMACHVS per ἀντεργαμένα κατὰ τῆς ψυχῆς με, alii ἀνεργαμένα, alii συνεργαμένα. ABENESRA: ■■■■■, *nomen est, vox* שׁכָּל. Nos per Infinitivum aut Gerundium commodè reddi posse, putamus: *Orbando.* Ubi nempè orbârunt Christum, ejusque animam, tanquam partem potiorem, non solum vitæ necessariis, ut Luc. VII. 44. sed & famâ, honore, amicis, quibus Anima ipsius delectabatur, Joh. VII. 47. 52. IX. 34. Quin vitâ ipsâ privare, omnibus modis tentârunt, Joh. VIII. 37. 40. & Martyres ejus, ipsosque infantes innocentes, liberos spirituales, Matth. II. 16. 17. 18. simili crudelitate prosecuti sunt; quod est Animam rapere vel privare. Nec unquam Davidi, ejusque familiae contigit.

## §. XV.

Utque Malum hoc tam enorme eò magis appareat, fit Comparatio inter Merita Servatoris, & horum Compensatio-



sationem detestandam. Atque illa ideo recensentur (1) v.  
 33. 34. Ego autem, cum mibi molesti essent, induabar cilicio.  
*Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu  
 meo convertetur.* Quasi proximum, & quasi fratrem no-  
 strum, sic complacebam, quasi lugens & contristatus, sic hu-  
 miliabar. Quae sunt Notæ Commiserationis Christi,  
 quā ductus est propter Morbos hostium suorum; בחרות  
 i. e. Peccata & Pænas illorum; ut vocat Esaias c. LIII. 4.  
 מכאובין חרין & מכאובין, & cum eo Luc. VIII. 17. Ipse Infirmitates no-  
 stras accepit, & agrotationes nostras portavit. VVLG. Cum mi-  
 bi molesti essent; nempē Peccatis suis. Atque illæ se exeruere  
 per a) Cilicum, h.e. Vester detritas, & ignominiosas, Matth.  
 XXVII. 28. 29. Marc. XV. 16. Joh. XIX. 2. Luc. XXIII.  
 ii. quibus & Prophetæ Christo prælusuere; v. gr. Etaias c.  
 XX. 4. pluresque in luctu suo. Conf. Jos. IX. 4. II. Reg.  
 XIX. 2. Ad hæc quidem AVGVSTINVS: Evangelio per-  
 scrutato, non invenimus, Dominum in aliquâ passione & tri-  
 bulatione suâ induisse se cilicio. Unde idem ad Allegoriam  
 confugit, Cilicum, inquiens, fortasse appellat carnis sue  
 mortalitatem. Sic & THOMAS, & qui eum sequuntur,  
 Scholaftici. Verum ex locis citatis constat, quod per Ci-  
 licium illud sensu Literali intelligantur vestimenta obso-  
 leta, & in turpitudinem Christo admota, aut luctus cau-  
 sâ ab ipso admissa. Idemque sentiendum de Jejunis, de  
 quibus hic Psaltes b) vaticinatur; & ex quibus eminet qui-  
 dem illud Matth. IV. 2. Sed quid si etiam dixerimus, post  
 Manductionem Agni Paschalis, sub durissimo jejunio  
 vitam Christum finivisse? ut ipse ad discipulos Matth.  
 XXVI. 29. Non bibam à modò de hoc genimine vitis, usque  
 in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum, in regno Pa-  
 tris mei; & Joh. XIX. 28. Sitio. Nec tamen Potum ex  
 ace-



aceto & felle mixtum sumisit, Matth. XXVII. Signa hæc erant Expiationis, & Doloris de Peccatis aliorum gravissimi; quo certè gravior nullus esse potuit, quam Christi. Vid. supr. §. IV.

## §. XVI.

Unde quoque c) ejusdem *Oratio*, cujus sunt exempla manifesta in monte Olivarum, Matth. XXVII. 36. Marc. XIV. 32. item cum in Arâ Crucis intercederet pro inimicis suis, apud Patrem Cœlestem, tanquam pro fratribus suis & amicis, Luc. XXIII. 34. *Pater dimitte illis*. Num verò quisquam mortalium animo tām placido tāmque benigno fuit, qui hæc ita eloqueretur? Orare pro Calumniantibus & Maledicis, supremus pietatis Gradus est. Profectò nec David, nec Moses, nec aliis quispiam hac in re cum Christo comparandus. Sed quid significat, quod extat: *Et oratio mea in sinu meo convertetur?* RASCHI & ABEN ESRA volunt, pér modum Imprecationis hoc proferri, nempè si Preces illæ aliud quid, quām Salutem Hostium intendant, rogari hīc, ut Malum in sūnum ipsius precantis revertatur. Ut rogit David contrā vicinos suos, Psalm. LXXIX. 12. Verūm non opus erat Imprecatione, ubi constat, quod oratio Christi, in Salutem Hominum directa, adeò ad ipsum redierit aut compensata sit, ut vix quicquam his effecisse videretur, nisi ut eò gravius tantum in eum insultarent; quod & faciunt omnes Impii, qui rursùm crucifigunt sibimetipsis *Filiū Dei*, & ostentui habent, Hebr. VI. 8. non obstante, quod omnes redemerit, & pro omnibus intercesserit. Quæ phrasis est Scripturæ Sacræ, v.gr. Es. LXV. 6. *Reddam, & retribuam in sūnum eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul.* Et Jer. XXXII. 18. *Reddis*

D 3

ini-



*iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum.* Unde Christus etiam retinet Luc. VI. 38. *Mensuram bonam & confortam & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Alias etiam dici solet super Caput; ut Ez. XXII. 31. *Viam eorum in caput eorum reddidi.* Sinus enim & Caput sensum habent subtilissimum. Unde constat, quantoperè sentiat Servator Osorum suorum Linguam petulantem, pro Precibus suis. *Es ist ihm belohnet/ eingedrenget/ und sauer gnug gemacht.* Orationem autem hanc excitabat d) summa *Tristitia*, cuius specimen singulare reliquit Christus Matth. XXVI. 38. ubi ipse: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Neque tum solum, sed & per totum vitæ suæ spatiū tristis incessit. *H E B R.* *וְהַלְכָתִי, Ambulavi;* quod non satis ad rem *V V L G A T V S: Complacebam.* Imprimis cum in Crucem duceretur, eamque portaret, ubi imprimis obtinuit illud, quod in *Hebr.* ist: *וְהַשְׁׂךְ קָרֵךְ Pullatus humiliisque ivi.* Vers. *V E T.* *G R.* συνθεωπῶς ἐκύφη, *Mæstè inclinatus sum.* Adeò ut sub onere hoc gementi & oppresso, adjungerent Simonem Cyrenæum, Matth. XXVII. 37. Et hæc quidem omnia propter illos, quos tanquam Amicos, Fratres, vel Matrem ipsam amabat, eorumque Morbis tantum indolebat. *S Y M M.* εἰ τῷ παρενολεῖδαι ἀντεῖς, *cum ifsi molestarentur,* vel à Sathanā undiquaque vexarentur. Nec enim *confunditur, fratres eos vocare,* Hebr. II. 12. qui ex eadem matre Synagogā cum ipso oriundi, Gal. IV. 26. utut ipsi tantum laborem suis iniquitatibus præbuissent, Ef. XLIII. 24. Matremque salutat, & Luctum gravem de eâ testatur, quæ Fornicatione indignam se hoc nomine reddiderat, juxta illud Hos. II. 2. *Judicate matrem vestram, judicate,* quoniam ipsa non uxor mea.

§. XVII.



## §. XVII.

Sed cum adversarii hac commiseratione tantum abutentur, & eò magis suæ in ipsum responderent *Linguæ Petulantiâ*, eandem etiam (2) per suas partes describit. Nempe sic v. 15.16. *Et adversum me lœtati sunt & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi. Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.* Comparent hîc Gaudia, Conventicula, Contentiones, Sannæ. *Gaudia* (a) sunt à Latere Christi, ut si quis lugentem saltibus & ovatione comitemtur. In HEBR. est: *Quod Aqvila ἐν σκασμῷ με, in claudicatione meā.* SYMMACHVS: *σκάζοντος με, claudicante me.* Qui pro Infinitivo sumunt, à Verbo **צָלַע** *claudicavit*, vel in alteram partem nutavit. VVLGATVS quidem: *adversum me;* sed non satis exhaustit hanc Emphasin. Claudicatio Christi ergò hîc nihil aliud erit, quam inclinatio ad lapsum, prout hunc instare, hostes ejus putabant, atque inde sepulcrum ejus custodiri curabant, Matth. XXVII. 64. Quod imprimis metuendum videbatur, ab eo tempore, quo captus erat, ac traditus in mortem; ipsosque etiam discipulos ipsius in augustias conjiciebat, Luc. XXIV. 21. Tunc ergò omnes contrâ exultare, omnes ovare incipiebant; id quod ex ipsorum clamoribus: *Crucifige, Crucifige;* satis apparebat. Præser-tim illud notabile est, quod de Herode, hoste ejus acerri-mo, scribitur Luc. XXIII. 8. *Herodes autem, viso Iesu, gavisus est valde.* Erat enim cupiens ex multo tempore, vide-re eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre, ab eo fieri. Hic igitur Claudiacium promachus, qui hîc dicuntur, & Christum secum à Deo claudi-caturum, sperabat, contrâ Judæos. Ceteri gaudebant ob-inte-



interitum ejus. Lætitiam hanc, de quâ etiam post, v. 21. 25. inter alia arguunt, contrà Jejunia Christi, (b) *Conventicula, & Consultationes*, de quibus imprimis ex historiâ Passionis, v. gr. antequam caperetur, Matth. XXVI. 3. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, --- & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent. Et postquam ceperant, Scribæ & Seniores iterum convenerunt apud Caipham, v. 57. Alteroque statim die consilium inierunt omnes, --- ut eum morti traderent, Matth. XXVII. 1. Et sic porrò usque ad Mortem, ad quam ipsum multos duxisse, Luc. XXIII. 27. extat: *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum.* Hi nempè omnes à Latere, vel potius in Claudicatione ejus. Nequi hi tantùm, sed & *Claudicantes* maximè contrà eundem congregati, Matth. XXVII. 27. Scilicet hi potissimum fuerunt Milites Romani; duoque Principes, Herodes & Pilatus, quos eodem die propter Christum invicem conciliatos esse, legimus Luc. XXIII. 12. נאספּו עלי : Congregantur contrà me claudi, quos non cognovi. Vulgatvs quidem נכי reddit per Flaggella; sed Versio hæc non æquè quadrat h. l. præsertim cum addatur: ו לא ירעתו : Quos non cognovi. Nec enim vel Gentiles illi antea cognoverant Christum, vel Christus cognoverat ipsos ab Ecclesiâ suâ alienos, stylo Scripturar. Conf. Matth. III. 3. 4. Joh. X. 14. Vox נכימ verò optimè explicabitur è II. Sam. IV. 4. IX. 3. Et XVI. 7. vid. supr. §. V.

### §. XVIII.

Nec (c) satis quoque *Clamoris & Contentionum*, quo vehementiores Preces, *Supplicationesque* ad Deum, cum clamore valido & lacrymis, Christus obtulerat, Hebr. V. 7. HEBR. קרע ו לא רטו Quod Vulgatus quidem: *Dissipati sunt*

sunt, nec compuncti. Melius : *Scinduntur invicem, nec silent.* Vox enim adhibetur I. Sam. XV. 28. cum ita Samuel ad Saulem : *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* Add. I. Reg. XI. II. 12. 13. XIV. 8. Hof. XIII. 8. Joël. II. 13. Eccl. III. 7. Et ex usu Arabum, ubi vox فَرِعْ signifi-  
cat : *Contendit, Contendendo Vicit, item Recalcitravit.* In partes enim de Christo semper abiisse turbas & Pharisæos, historiæ sacræ testantur. Et vel maximè cum ipso Judice Gentili de eodem litigare videbantur Joh. XVIII. 40. XIX. 12. Nec tacere poterant, sed eò magis clama-  
bant : *Crucifige;* Matth. XXVII. 23. Denique etiam de-  
scribit (d) *Sanniones & Mimos*, de quibus CIC. L. 2. de  
Orat. c. 61. *Quid potest esse tām ridiculum, quàm sannio est?*  
*Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce denique, & corpore*  
*ridetur ipso.* Quique Verba Christi Sanctissima Nugis  
suis excipiebant. Textus HEBRÆVS ita habet : כְּחִנְפֵּי רַעֲבֵי מַעֲגֵי חָרָק שְׁנָטוֹת : Sicut mimi cachinnantes ad sannas,  
strident dentibus suis. Vulgatus inde abit, cum red-  
dit : Tentaverunt. Nam כְּחִנְפֵּי significant hic : Sicut mimi  
& simulatores. מַעֲגֵי verò est ex obsoleto ad formam  
מַקּוֹן, unde est עֲוֹנָה Sanna ; & vetitum apud Judæos,  
Nomen Tetragrammaton pronunciare בְּלִשּׁוֹן עֲוֹנָה ser-  
mone inani, aut inter risus & jocos. Vid. BYXTORFF. Le-  
xic. Rabb. Maj. sub עֲגָג. Solent ergo Hypocritæ aut Mi-  
mi, ut risus moveant apud spectatores, ipsi extenso ore &  
nudatis dentibus exemplum aliis præbere. Nam חָרָק  
etiam est Rumpere, Findere. Ut dentes rumpunt invi-  
cem, qui cachinnos tollunt, & in jocos effunduntur, ut SVET.  
Octav. c. 98. Unde etiam Thren. II. 16. Aperuerunt su-  
per te os suum omnes inimici tui : sibilaverunt & fremue-  
runt, (חָרָק, biatus fecerunt,) dentibus, & dixerunt ; Devo-



*rabimus.* Tales ergò Sanniones, tales Mimos & Parasitos, pro pecuniâ quælibet audentes, Matth. *X XVIII.* 12. agebant, qui optimo Servatori genu flexo illudebant, ac dicebant: *Ave rex Judeorum;* & nunc caput ejus percutiebant arundine, quam sceptri instar tradiderant, & in faciem expuebant, & plures ejusmodi nugas suscipiebant: ubi neque cachinnos defuisse certissimum est. conf. Matth. *XXVII.* 29.sq. Ut ceteros, Judamque adeò ipsum, jam prætereamus.

### §. XIX.

Exaggeratas Injurias claudit (δ) Exclamatione & Invocatione Dei Servator v. 17. *Domine, quandò respicies! restituē animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicum meam.* Consuevit David his Exclamationibus uti in gravissimis angustiis suis; ut Ps. VI. 4. *Sed tu, Domine, usque quò?* Itaque etiam Spiritus Sanctus ejus ori se attenuat in hoc Vaticinio. Quo & Gravitatem Malorum à se tolerandorum, & Fiduciam Auxilii Divini, diu satis à se expectati, exprimit. Et statim Patrem cœlestem implorat, utpote qui ideo vult invocari Joh. *XVI.* 24. ne diutius tolerare velit vel perniciosos ipsorum, utut irritos conatus, quibus Christo exitium destinarent. *HEBR.* **מִשְׁאַהָה** à foveâ illorum; nempe de quâ supra v. 7. 8. vel Crudelitatem, quam cum Crudelitate Leonum comparat. Jam ante eadem ferè formulâ precandi in ultimâ anxiate usus erat, Ps. *XXII.* 22. nisi quod ibi Leonem unum, Sathanam, hîc plures, qui hujus quasi Instrumenta sint, nominet. *HEBR.* **מִכְפָּרוֹת** à leonibus juvencis. De quo nos ad Ps. cit. §. XX. Nempe transfertur ad homines, quibus nec animus, nec vires desunt, ad nocendum; æquè ut Ezech. *xxxviii.* 13. & Ps. *lvi.* 5. Animam verò suam, hîc quo-



quoque *Unicum* appellat, ut & Ps. cit. xxii. 22. *וְהַוָּתִי U-nicam meam*; quemadmodum filia Jephthæ dicebatur, *וְהַוָּתִה Unigenita* Judic. xi. 34. Scilicet quod tantoper à Patre diligeretur, utpote Filius ejus Unigenitus, Joh. III. 16. HEBR. *וְיוֹרֵד*, ut Zach. XII. 10. Et novum hinc suggerit argumentum, de præcipuo hujus Psalmi Objecto.

## §. XX.

Hanc ergò *Fiduciam suam de Auxilio Dei* Christus porrò Part. (III) indicat à v. 18. usque ad 28. Et (I) v. 18. per promissam *Gratiarum Actionem*: *Confitebor tibi in Ecclesia magnâ, in populo gravi laudabo te.* Quod Christo hæc verba potissimum competant, suprà testem Apostolum ex Hebr. II. 12. advocavimus, aliisque etiam rationibus ostendimus §. III. Prout & ad Ps. xxii. 23. 26. XL. 10. Ipse que ostendit, cum *aperuit os suum ad docendum*, Matth. V. 2. fecus ac Inimici ipsius, ad convitiandum. Addimus & illud, quod Ecclesia illa magna, populusque gravis, Ecclesia Christiana Catholica jure optimo dici queat, non æquè Synagoga Judaica; quodque Confessio hæc & Laus Dei propter easdem Causas etiam à Membris Christi dilatanda sit, quorum Caput ipse est, qui sunt Quieti terræ v. 20. & Fideles, in Justitiâ Christi acquiescentes, v. 27. *Causâ* autem præcipua hujus *Laudis* est, ut Scopo excidant Hostes Iniqui, de quibus ipse queritur Joh. xv. 25. ut suprà ad §. II. prolixius docuimus. Verba sunt v. 19. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.* Ubi verba posteriora melius forsitan reddideris: *Qui oderunt me gratis, (non) annuant oculis;* scilicet quasi re benè gestâ. Nam particula *נַ* non, ab initio versiculi ponitur, & hîc sub finem



subintelligitur. Oculis autem annuere, indicium mali animi esse solet, & ad exercitium iniqui in alium consensus. Ut Prov. x. 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem.* Add. Sir. xxvii. 25. Prov. vi. 12. Iniquitas vero eorum, & quare justum sit, ut scopo frustrentur, v. 20. determinatur, (a) nempè quod sint Turbae perpetuae, in Christum & Ministros Evangelii excitatae : *Quoniam mibi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.* At hæc non satis tetigit VULGATVS, dum Codices Græcos cum LXX. Interpretibus sequitur. HEBR. enim : *Quia nihil, quod ad pacem, loquuntur, sed potius contrà pacificos terræ verba fraudulenta excogitant.* Ubi רגש־ארץ Pacifici terræ, dicuntur ex illo significatu, Jer. L. 34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen ejus, judicio defendet causam eorum, ut quietem reddat terræ. HEBR. : נאלהם וגו רוחם את ריבם למן חרגנו את הארץ Sive ergo per Quietem ipsam vel Halcydonia, sive per Quietos efferas, perinde. Apostoli præcipue illi sunt, qui Pacem à Christo sibi reliquit Joh. xiv. 27. orbi annunciarunt, & quorum causam in Judiciis egit Christus, ut Pater causam ipsius, Joh. XV. 7. Et propterea explicat. c. hoc vaticinium. Ut & confirmat Matth. X. 24. 25. *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, & servo, sicut Dominus ejus. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? & de quibus satis testantur Act. Apostolor. & Hist. Persecutionum.* Quam ipsorum Virulentiam vel Iactantiam (b) adhuc per Profopopoeiam & Imitationem Verborum describit v. 21. *Et dilataverunt super me os sum ; dixerunt : Euge, Euge, viderunt oculi nostri.* Qualem descriptionem jam supra vidimus §. XVIII. cum quo etiam conf. I. Sam. II. 1. ubi significat, loqui audacter :

Dila-



*Dilatatum est os meum super inimicos meos.* Quanquam verò hæc ipsa verba non reperiāmus, ea tamen, vel prorsus similia, satis prodit Historia, imprimis cum in Cruce viderent Jesum Nazarenū Joh. xix. 24. unde affectum illorum agnoscas. Saltem in cordibus suis sic dixisse, infra v. 25. docemur.

## §. XXI.

Fiduciam Christi (2) arguit quoque *Confessio Providentiæ Divinæ*, quâ nihil certius est, & ad quam etiam contrà Hostes aperit os suum, v. 22. *Vidisti Domine, ne fileas;* *Domine, ne discedas à me.* Quasi dicat, cum videas hæc omnia, etiam filere non poteris, neque me deserere. Tām indissolubili nexu cum Omnipotentiâ Dei juncta est ejus Justitia, atque Potentia. Quare plura sunt ejusmodi Providentiæ Dei Specialis testimonia, invicem conjuncta; ut Es. LIX. 1. *Ecce, non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.* Quare & David iisdem fere verbis, Ps. X. II. ubi Impius dixit in corde suo: *Oblitus est Dominus, avertit faciem suam, ne videat in finem;* respondet ad hæc v. 12. *Vides, quoniam tu laborem & doorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.* Et inde ad Preces configuit v. 12. *Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.* Propter quid irritavit impius Deum? *Dixit enim in corde suo: Non requires.* Et Ps. XLIII. 23. *Exurge, quare obdormis, Domine, quare faciem tuam avertis.* Sic & h. l. Messias Professioni suæ annexit Preces, vel Spei potius suæ documenta, v. 23. *Exurge, & intende.* Et quidem (a) ob Causam Propriam v. eod. *Intende iudicio meo; Deus meus, in causam meam.* Quod quidem rogaverat ab initio Psal-



mi, v. l. jam verò repetit, ut & alia, & confidendo confirmat. Deinde quoque (b) ob Causam Dei v. 24. *Judica me secundum Justitiam tuam, Domine, Deus meus.* Scilicet ut imprimis Consilia Justitiæ Divinæ vindicentur. cf. Ps. LXXXIX. 15. CXIX. 160. Et (c) propter Frustrationes Iniquorum, ne gaudeant contrà Mysterium Redemtionis à Christo perficiendum, & à se, ut putabant, destruendum v. 24. 25. *Et non supergaudeant mihi. Non dicant in cordibus suis : Euge, Euge, animæ nostræ ; nec dicant : Devoravimus eum.* Ita nempe cogitabant, utut contrarios eventus facile persentiscerent ; & sic triumphum canebarunt ante victoriam. Unde contrà eosdem Esaias c. VIII. 9. *Congregamini populi, & vincimini, & audite universæ procul terræ : Confortamini, & vincimini, accingite vos, & vincimini : in te consilium, & dissipabitur : loquimini verbum, & non fiet ; Quia Nobiscum Deus. Immanuel, i. e. Christus.* Et de Eventu ipso Paulus I. Tim. III. 16. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.* Et Petrus Acto. IV. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Qui & statim ideo adjiciebat hortationem ad Pœnitentiam c. III. 19. *Pœnitentiini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Sic quoque h. l. confidit (d) de Pœnitentiâ adversariorum Messias, Vates, v. 26. *Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.* Juxta H E B R. *Qui se magnos fecerunt super me.* Nempe ad breve tempus. Exempla jam ad Part. (I) v. 4. adduximus, ubi paucis mutatis ideo Deum rogabat Servator ; jam autem sic futurum, ut & de aliis, quæ rogaverat,

con-



confidit. Inde sequitur (e) v. 27. *Exultatio Fidelium*, Christum potius, quam Seculi Vitia diligentium, ejusque causâ Mala quoque plurima, juxta v. 20. sustinentium : *Exultent & lætentur, qui volunt justitiam meam, & dicant semper : Magnificetur Dominus, qui voluit (non : Qui volunt ; ut VVLG. & LXX. sed ut HEBR. ρεην volens, i.e. Deus ipse ; ) pacem servi ejus.* Lætitia enim horum est, propter Justitiam Christi, quam præ omnibus cupiebat Paulus Phil. III. 8. 9. *Arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam, & inveniar in illo, non habens meam justitiam, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu.* Tum & propter Majestatem Dei, imprimis in Messiâ conspicuam, quando *venit, ut ministraret, & daret animam suam redemtionem pro multis*, Marc. X. 45. Denique (f) & ipsâ suâ Lingua hanc Justitiam Dei ejusque Laudem se prædicaturum, profitetur v. 28. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, totâ die laudem tuam.* Ubi iterum justitia illa Dei est, quæ in Evangelio potissimum manifestatur ; ut Rom. I. 17. *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem* ; quæ est illa sapientia Christi I. Cor. I. 30. II. 7. quam novissime Christus ipse prædicavit Hebr. I. 2. *in laudem gloriae gratiae suæ* Eph. I. 6.

### §. XXII.

Discimus jam (I) ex hoc Psalmo præcipue, quam exitiōsum sit Reip. non minus, quam Ecclesiæ, *Odium Gratis*, vel sine Causâ conceptum; siquidem Christus ipse hoc præ ceteris vitiorum generibus ex hoc vaticinio v. 19. adducit Joh. xv. 25. tanquam Fontem ceterorum malorum, quæ inde sequuntur. Davides enim addit v. 20. quod inde Contentiones & Rixæ perpetuæ enatæ sint, & quod præcipue hoc Odio agitati,



tati, sævierint contrà *Tranquillos Terræ*, i. e. qui ipsi nec Motibus ullis aut Bellis ansam dant, nec vim vi repellere possunt, nec sine extremâ necessitate belligerandum esse, alios docent. Hi verò sunt cùm Ministri Verbi Divini, tūm qui in universum Literis operam dant, qui pugnant Ratione, non Armis. Christus hinc Discipulis quoque suis fata hæc iniquiora prædictit l. c. quod Odio hoc adeò excoecati essent Judæi, ut Operibus suis, utut tam manifestis, fidem haud præberent. Judæi ipsi hinc πανολεθρία suam deducunt, ut supr. §. II. spectavimus. Nascitur autem Odium Gratis è falsis Accusationibus, Præjudiciis, Philautiâ, aliisque Affectibus præposterioris.

### §. XXIII.

Porrò (II) hinc discimus, quantæ Deo abominationi sint in utramque partem in *Religione Claudicantes*, & falli omnino, qui ad *Tranquillos Terræ* hos referunt, dum non turbant Rempublicam. Christus enim ex ore Vatis fatetur, se hos *non agnoscere*. Nec sine causâ *Vulpem* appellat Herodem Luc. XIII. 32. quod in Ecclesiæ veræ detrimentum ille simularet & dissimularet. Et Salomon Cantic. II. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.* Qui ergò Vineas, i. e. Ecclesiæ demoliuntur, dum seducunt imbecilles, & Fidei turbant Simplicitatem ac Puritatem, non sunt dicendi Tranquilli, multò minus probi, aut vitæ integritate præclari. Conf. Sir. xxvi. 27.

### §. XXIV.

Nos verò operam demus, (III) ut *Sermonibus nostris nemini Injuriam inferamus.* Queritur Christus v. ii. non solum



solum de falsis Testibus, qui malorum suorum concii, contrà Christum nihilominus suos admovebant arietes, sed & de his, qui, quæ ignorabant, Christum interrogabant, ut habent LXX. & VVLGATVS; h.e. qui cum vulgo eandem tibiam inflabant, & in gratiam priuatum nunc joculabantur, nunc illud : *crucifige* ; extollebant voce, & causam tamen nesciebant. Tutius certe est, & officiis Christianorum convenientius, quod ignoramus, vel Silentio, vel signis Amoris potius, quæ sunt bona verba, quam Odio & Præcipitati animi indicare. Posteriori enim ratione semper infirmitatem prodimus. *LVTI.*  
*Gutes von ihm reden / und alle Dinge zum besten kehren.*  
 Et valet hic illud Jacobi c. II. 13. *Superexaltat misericordia judicium.* Et c. III. ii. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?*

## §. XXV.

Videant (IV) Ingrati, quo loco ipsi numerentur, & quantæ se turpitudini, quantis adversis se aliosque exponant. *Retribuebant mihi*, inquit Christus v. 12. *mala pro bonis.* Idemque etiam Matth. XXV. 40. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* & viceversâ. Ut appareret, male æquitatem non solum in ipsum caput, sed & in membra observare ingratos. Neque solum ingratos esse, qui Bona Malis compensant, sed & qui Bonis Congruis privant bene meritos, mercede laborantes, & eleemosynis indigentes, docent verba illa : *Sterilitatem animæ meæ.* Sir. XXVI. 25. 26. *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit.* Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus. *Et qui transgreditur à justitiâ ad peccatum,*

F

Deus



*Deus paravit eum ad romphæam.* Nam omnes sterilitatis hujus & in se, & in aliis causæ sunt, Fructusque Justitiae vel contrarios proferunt, vel nullos. *Qui recipit justum, in nomine justi, mercedem justi accipiet,* inquit Servator Matth. X. 41. Et v. 42. de Potu Aquæ frigidæ: *Amen, dico vobis, non perdet mercedem suam.* Perdet ergo, qui denegat. Prov. XVII. 13. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.*

## §. XXVI.

Capiant denique (V) id in Solarium suum *Innocentes*, quod Deus ipse à se abstergat & repellat *Calumnias*. Inde Christus rogat non sine causâ, v. 1. *Judica, Domine, vocentes me;* scilicet Cavillationibus suis. Et confidit v. 26. *Induantur confusione & reverentiâ, qui magna loquuntur supr me.* Si enim Sugillationes haud vindicaret Deus, quis innocens esset, sique idem nesciret, aut non curaret, quæ scire omnia, quæ curare nequeunt homines, quis finis delationum esset vel calumniarum? Quærunt plus indies homines cum Pilato, è Joh. xviii. 38: *Quid est veritas?* Et vix possunt aliter. Sed de Deo David Ps. xxxvi. 5. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.* Et educet, quasi lumen, *justitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.* Subditus esto Domino, & ora eum.



2

# DOCTISSIMO DN. RESPONDENTI PRÆSES

S. P. D.

**S**ic tu quoque in Aream Disputantium prodis, OPTIME SCHRADERE, & nomen tuum erudito orbi hoc pacto vis innotescere? Imò babes, qui te cognatione quoque suâ contingunt, hujus nominis plures, & Ecclesiæ & Reipublicæ doctrinæ & virtutum suarum exemplo egregio præludentes, quos inter neque tu ultimus esse, rectè cupis. Ea propter in inclytâ Fridericianâ vires ingenii tempore studiis sanctioribus æquo excoluisti, in Academîa verò Juliâ Concionibus Ecclesiasticis frequentissimis, nec sine diligentia elaboratis, explorasti, & nunc, ut prolusisti in Collegiis Privatis, etiam publicè disputando ostendis. Nihil igitur in his conatibus tuis, nihil in vita probitate & modestia tuâ desiderandum. Sed hoc tantum supererat, ut te gratulatione ideò, atque laude promeritâ exciperem. Cumque de Precibus Christi contrâ Maledicos hodie differis, tibi contrâ Linguam Christi & Apostolorum, ad Preces tantum, & prædicanda Dei Magnalia aptam, doctamque ac disertam appreco, quâ & familiæ inclytæ decori sis, & felix ad honesta quævis in te suscipienda, & ad communem rerum utilitatem exequenda. Scribebam Helmstädi d. XII. Decembr. Anno Christi  
MDCCXXVIII.

F 2.

Wer



Du zeigest heute uns den Fleiß und den Verstand/  
Wie Du von Jugend auf die Studien getrieben/  
Die Disputation macht dieses mehr bekannt/  
Wer solche sezen will / der muß die Musen lieben.  
Apollo nennet Dich anjezo seinen Sohn/  
Und wird hinführō Dich an seine Tafel sezen/  
Er wird für Deinen Fleiß Dir schenken grossen Lohn/  
Es wird die Ehren-Eron die Jugend-Brust ergezen.  
Daher ist hocherfreut die wehrte Musen-Schaar/  
Dass Du an diesem Licht die Früchte Deiner Jugend  
Auf den Catheder legst/ und zeigest offenbahr/  
Dass nur die Ehren-Burg ersteige Fleiß und Jugend.  
Wohlan / sehr Wehrter Freund / ich wünsche Dir viel  
Glück/

Gott gebe daß Dein Ruhm bis an die Sternen steige/  
Fortuna küsse Dich mit freudigem Geschicke/  
Und daß sie immerfort in Seegen bey Dir bleibe.  
Ich bitte dabey aus/ Herr Schrader/ Deine Gunst/  
Ich æstimire Dich / Du bist ein Freund zu nennen/  
So lange bis die Asch aus mir macht einen Dunst/  
Du wirst aus Gegen-Lieb/ mir Deine Liebe gönnen.

Mit diesen hat seinem vertrauten  
Freunde schuldigst gratuliren  
sollen

J. C. BVHLER,  
Helmst. S.S:Th.St.  
Opp.

Wer



2  
W Er wahre Weisheit sucht/ und Gottes Rechte liebt/  
Der findet einen Schatz/ so über Gold zu schätzen;  
Wer diesen Tugenden sein Herz zu eignen giebt/  
Baut einen Tempel auf/ der nimmer zu verlezen:  
Er zieht des Himmels Liebes-Flammen  
Über sich zusammen.

Dies ist der theure Schatz/ den Du/ Hochwehrter Freund/  
Von zarter Jugend an geliebt/ gesucht/ gefunden/  
Du lehrst mit Geist und Kraft/ wie Christus seinen Feind  
Und loser Spötter Gifft mit beten überwunden:  
Dies Denckmahl soll die Nachwelt ehren/  
Keine Zeit verzehren.

Nimm diese Erstlinge der wahren Freundschaft hin/  
Die meine Hand Dir reicht zum steten Angedenken/  
Erlaube daß sich noch mein froher Geist und Sinn  
Zum hohen Sternen-Saal mit diesen Wunschen lencken:  
Du müßest bald mit süßen Freuden/  
Fromme Seelen weiden!

G. GOTTLIEB  
Schrader /  
Hiemit bezeugete seine Liebe und  
Hochachtung gegen den Herrn  
Schrader / als ein aufrichtiger  
Freund und ergebenster  
Diener

G. B. CHRIST,  
Brunsvic. S. L. C.  
Opp.  
Soli-



22  
S  
Olde Wissenschaft kan nicht verborgen bleiben/  
Sie suchet Ehr und Ruhm/ sie schwinget sich empor/  
Sie muß der Ewigkeit des Nahmen einverleiben/  
Der sich um sie bewirbt : Sie öffnet Thür und Thor.  
Dem/ der Unsterblichkeit durch sie sucht zu erwerben/  
Sie macht/ daß/ wenn er stirbt/ sein Ruhm nicht könne sterben.

Zum Muster darf ich Dich/ Herr Schrader/ nur anführen/  
Die Grund-Gelehrsamkeit schwingt Dich ans Sternen-Zelt!  
Hierüber muß ich Dich mit Recht felicitiren!  
Dis ist / das Deinen Ruhm in ew'ger Blüth erhält:  
Herr Schrader/ freue Dich! diß sind die frohen Stunden/  
Da mit der Ewigkeit Dein Nahme sich verbunden!

Mit diesen schlechten Zeilen wolte seinen  
Respect gegen den Herrn Respon-  
denter bezeugen

Dessen  
ergebenster Diener

G. G. GOECKING,  
SS. Th. St.



And  
M. H.

EO.-Beg. 2002

01 A 6727

ULB Halle  
003 104 745

3



WA

R. ho



DIS



27222

am, illum à Philosophia & literis humantioribus apparatus, quo carent multi, cum ad Theologiam accedunt, & qui proinde te ad hanc discendam è fundamento, & reddere possint aptiorem. Nec propterea vis ingratus priuatis tuis videri praeceptoribus, quod te in scholis suis literaritis etiam ad Magistrum usque gradum evexerint, sed solidiora tantum apud nos his fundamentis imponere, & qua tibi hinc subministrata sunt arma, ad augendam divinam veritatem, nullo facto amoris in eis, qui merentur, detimento, convertere. Age ergo, & qua cum laude tibi acquisiveris, cur enim nec in hoste laudemus virtutem, specinè publico, quo respondentis vicem probes, ostende. Methodum disputandi quantum calles, simul probare, & quam benè materiam ipsam perspectum habeas, docere poteris. Nec tamen te proficie tantum putes, ut teipsum porrò juvare quæas. Si rudis es literarum, vel alio vita generi adfuetus, aliâ indigeres instructiōne. Sed jam Theologum ipse agere cupis, qui post hec multos ad veram eruditatē justitiam. Itaque discas primum, ante quam doceas alios, Sirac. XIX. 19. Discas, & ad populum verba facere vernacula, juxta regulas artis oratoria, & si status rerum nostrarum exposcit, & ad eruditos quoque eodem sermone, quo uti competit, differere. Non hoc certè verget in dedecus gregis à te reliči; sed emolumenitum. Opto, ut animas ita multas, ut quandam Abram advena, lucreris. Opto quoque, ut ad id rectè præstandum tibi adhuc paululum temporis, & expensarum, quantum sati est, suffpetat. Habet exemplum civis tui, Summi Reverendi apud nos Praefatis, notriq[ue] Collegi Rempenii, habet & plura, que sequaris. Ita non tueri solum vera, sed & describere poteris, atque ipse docere. Quod autem reliqua attinet, memor esto illius, quo consolatur Optimus Servator discipulos suos, Matth. XIX. 29. Omnis, inquit, qui reliquerit dominum, vel fratres, aut forores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Scribebam Helmstadii, d. XII. Junii,  
Anno MDCCXXXVI.

PSALTES PROPHETA  
DE  
**P R E C I B V S**  
**C H R I S T I**  
CONTRA  
**M A L E D I C O S**  
*AD PSALMVM XXXV.*

P RÆSIDE  
**JON. CONR. SCHRAMMIO**  
S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
CELEBERRIMO  
RESPONDENTE  
**CHRIST WILH. SCHRADERO**

